DOMINICI ARUMAEI, ... DISCURSUUM ACADEMICORUM AD AUREAM BULLAM CAROLI 4. SEXTUS...

Dominicus Arumäus, Johann Matthäus Remus, Valenti Gonzaga



AD CAP. VI. A.B.

THESIS I.

QUis ordo inter ipsos Electores observari debeat, suprà in d. 3 & 4. exposuit Imp. heic, quis respectu ad alios Principes habito, exprimit, hosce scilicet in Curiæ solemnis celebratione, cujuscunque etiam sint dignitatis & conditionis, illis semper debere postponi, cum & dignitate & meritis longè sint superiores. *Schard. in Proœm. d. Elect. Orig. Peucer. lib. 5. in pr. Chron. Ventur. d. Valentiâ. lib. 2. c. 5. n. 26. in partib. litigios.* Quamvis verò non desint, qui hanc Electorum, utpote Germanorum solum, dignitatem Germaniæ quidem honorificam & salutarem, universo tamen Romano Imperio damnosam extitisse existiment, quod indignè ferentes exteræ nationes, Galli, Hispani, Angli, Scoti, Poloni, Dani, Norwegi, Sweci, aliique Duces & populi ejus Imperii onera subire, à cujus supremis honoribus lege publicâ exclusæ essent, contrà illud Plinii: imperaturum omnibus eligi debere ab omnibus. *Alc. de Form. Rom. Imp. Nicol. Betsius c. 1. de pact. fam. Illustr.* jugum excusserint. *Ventur. de Valent. lib. 1. c. 17. n. 32.* Attamen illa hæc regnorum & populorum avulsio non institutioni Electoralis collegii attribuenda erit, sed populis illis specioso libertatis nomine ad rebellandum illectis, Pontificum Romanorum consiliis & molitionibus in Imperii perniciem, sedis verò Romanæ exaltationem excitatis. *Marsil. Patav. in defens. Ludov. Bavari. in præfat. Nicol. Bets. d. c. 7.* Utut verò magna Imperii pars ab aliis occupata sit, non ideò tamen extinctum dici potest, sed in parte eâ, quæ restat, totum adhuc imperium est. *Mar. Neapol. p. 1. cap. 21. n. 27. de jurisd.* quod, cum etiam hodiè dignitate & robore reliqua post se relinquat regna, *Thuan. lib. 2. Histor.* nil mirum, si ejusdem Principes & præ-

præcipuè magnanimi Electores, reliquos orbis Principes, non ſolum in Comitiis Imperialibus, verum etiam aliis Principum Chriſtianorum conventibus præcedant. Id quod etiam ex decreto quodam Rudolphi II. pateſcit, cui hæc inter alia verba inſerta erant: Daß der Churfürſten Hoheit und Authoritet mit eines Römiſchen Keyſers Gewalt und Hoheit/ daher ſie auch fleuſt/ dermaſſen verbunden/ daß eine ohne die ander nicht verſchmelert werden/ auch ohne die ander nicht beſtehen kan / ja daß die höchſte Würde der Churfürſten/ damit ſie vor andern (NB.) Königen und Potentaten gezieret/ eben dieſe iſt/ daß ſie einen Römiſchen Keyſer/ deſſen Hoheit/ Authoritet und Gewalt alle andere vbertrifft/ von der auch alle andere herfleuſt/ zu wehlen haben. Quanquam ſi textum noſtrum penitius perpendamus, de eo non improbabiliter dubitari poſſit, cum enim nominatim Rex Bohemiæ Reges alios antecedere debere dicatur, cæteris utique Electoribus id inhibitum erit. Sed hæc ex obſervantia decidenda ſunt, nec novum eſt etiam eum, qui in majori dignitate eſt ratione temporis & loci ei, qui in minori conſtitutus eſt, poſtponi. *c. collatione de Appell. in 6.* quod exemplo Regis Bohemiæ ex h. t. facilè patet, qui etſi antiquitate & potentia Regibus Galliæ & Hiſpaniarum cedat, attamen, quia & Rex, & ut Elector in actibus Imperialibus conſideratur, eos antecedit, extra quos, tantum abeſt, ut Bohemo illi cedant, ut potius vel cum ipſis electis Romanorum Regibus d. loco digniore in certamen venire non erubuerint. Exemplum præbet conventus Caleti Anno 1512. habitus, de quo *v. Chaſſan. p. 5. conſ. 29. in Catal. glor. mund. Ant. Quetta Conſ. 1.* Sanè Regis Boh. Majeſtatem propter Regni ſui anguſtias deprimere ſatagunt nonnulli, *Hoſtienſ. in C. conſtitutus de teſt.* qui tamen intelligere debuiſſent, laborioſe finium amplitudinem minimè efficere Principatum alio digniorem. *Knichen. c. 2. verb. ducum num. 68 de non provoc. jur. arg. c. legimus diſtinct. 93.* Et ſanè res periculi plena eſt, magnatibus veteris dignitatis terminos intervertere, ſicut ejus rei exempla, apud *Thuanum lib. 35. & 49. Hiſtor.* de Philippo II. Hiſpaniar. &

Ca-

Carolo IX. Galliarum Regibus apud *Crantzium lib. 6. c. 48. in Saxon.* de Archiepiscopo Coloniensi & Abbate Fuldensi, *Nauclerum Vol. 2. Gen. 39.* de Moguntino & eodem Abbate videre licet. Est enim illis quasi innatum circa honoris sui praerogativam curam versari, nec aliis rei [illegible] gravius, quam ejusdem imminutionem patiuntur, quod intelligens Fridericus I. Imp. super controversia Colon. & Fuldensis interpellatus, prudenter respondit, veteres approbamus Imperii consvetudines, quoniam major an minor sit, [illegible] discrimine est. *Crantz. d. c. 46.* quare quid pro loco apud Turcam Imperatori obtinendo David Ungnadius Rudolphi II. & Caroli V. Legatus fecerit ex *Joann. Leunclav. in supplem. Annal.* [illegible] *& Christoph. Varsevicio in Turcic. de legat. & legation.* satis manifestum est. In Regum itaque & Principum sessionibus series publica turbanda non est. *l. ult. C. de Decurion.* fieri enim vix potest, quin non ea turbata [illegible] turbae excitentur periculosae, generosi enim spiritus quidem potius quam injurias perferre solent, ut mitius, quam [illegible] fiat, de Principum Germaniae concertationibus [illegible] Nam cum Nobilissimi [illegible] de praerogativa [illegible], sed ut cuique dignitati [illegible] sua salva sint [illegible] injurias usque in se fuerit, quae nullibi [illegible] dignitatem [illegible] minuere vellet. Quin [illegible] nihil a Jure & Pontificio & Caesareo alienum committunt. *c. solitae 6. de major. & obed. c. ut debitum de Appell.* [illegible] *de privil. l. 14. §. 5. l. 11. ff. de mun. & honor. t. t. C. ut dign. ordo serv.* [illegible] *Nov. 6.* [illegible] quamquam pare [illegible] forsan in Comitiis Imperialibus, hanc sessionis quaestionem tractare possent, utilitas quoque Imperii, quae ubi vertitur commodumque publicum privatis contentionibus discordiisque locali impediri non debet. Verum quidquid sit, illa ipsa ordinis disceptatio singulis Comitiis recrudescere solet. *Adam. Keller lib. 2. c. 3. de Offic. Jurid.* quam tamen vel tandem nonnulli [illegible] alii sortis judicio terminari posse arbitrantur. Pro nostris Imperii pendet lis, ejusque diremtio. *Knichen. d. c. 2. n. 485.*

TIT. IIX.
De Succeſſione Principum.

Quis Electore mortuo in Electoratu ſuccedere debet?

Thes. II.

In Electoratu ſucceſſioni teſtamentariæ locum non eſt, *c. un. de ſucceſſ. feud.* Lex enim publica certum deſignavit ſucceſſorem, quem proviſione ſuâ Elector repudiare nequit. *Nov. 18. c. 2. l. 55. ff. de leg. 1.* pertinetque Electoratus ut feudum regale ad Imperium, de rebus autem ad alium pertinentibus diſpoſitio teſtamentaria ceſſat. *l. verb. legis de V. S.*

III.

Legitima ergò obtinet ſola, non tamen aſcendentium, niſi nonnullis caſibus, de quibus *Alvarott. in c. un n. 7. Matth. de Afflict. n. 2. de nat. ſucc. feud. Crantz. lib. 12. c. 4. in Saxon.* vel quia ad deſcendentes non niſi mortuis illis ſucceſſio devolvi ſolet, aut etiam, quia qui Electoratum acquirit, ſibi & liberis, non etiam parentibus ſuis proſpicere cenſetur, *c. 1. ibique Hotom. de nat. ſucceſſ. feud.*

IV.

Verum deſcendentes heic non omnes, filii ſcil. cum nepotibus, ut aliâs jure communi feudali conſtitutum, *c. un. verſ. & quia vidimus de his, qui feud. dar. poſſ. c. un. de feud. ſucceſſ. Henning. Gæden. Conſ. 6. n. 11. Roland. à Valle 1. Conſil. 68.* ſuccedunt, ſed ſoli filii, quin nec ii omnes, ut ante hanc bullam alternatim uſu venerat, de quo teſtantur *Freher. de legit. tut. curaq. Elect. Rubr. occaſio legis. Avent. lib. 7. Annal. Bojor. Cuſpinianus & alii*, ſed ſolum primogeniti. Cujus mutationis cauſam etiam noſtra bulla ſubminiſtrat, jus ſcil. ipſum illud primogenituræ, cum enim eâ primogenito jus, vox & poteſtas electionis

tri-

admissa sit, consequens utique per eam reliquos, nec enim habere plures primogenitos profert. electionis jure exclusos esse. Exclusionis hujus ratio illhæc est, ne numerus Electorum, qui olim septenarius est, multiplicari posset. *Freher. d.l.* Unus igitur & quidem primogenitus, utpote cui & Dei præscriptum, ipsa natura, & communis gentium votum assistunt, Elector statuendus fuit.

V.

Verum, quid si primogenitus ille, antequam dignitatem Electoralem consequutus, filio relicto & superstite fratre decedat, utrum hic patri, an ille avo Electori succedere debeat. Q. & R. quod ille avo, aliter atque ante hanc bullam tempore Rudolphi Electoris Palatini, quo sola ætatis ratio habebatur, observatum fuit, *Freher. d.l.* aliter, inquam, & rectè; æquum enim est nepotem in patris sui locum succedere. §. 6 *I. de hered. quæ ab intest. defer.* Parens autem nepotis patruum suumque fratrem Electoratu exclusisset, similiter nepos illum submovebit, qualitas enim primogeniti, quam habet primogenitus secundogenito salvo vivente nepote non potest, succedi autem Electori patri nequit, nisi per illam qualitatem, quæ nepoti per patrem suum acquisita est, filius quippe patris sui potestatem repræsentat, & cum illo unus idemque reputatur. *l.f. C. de impub. & al. substit. Tiraq. quæst. 40. de Jur. primog. Petrus Greg. Tholos. lib. 7. c. 10. de Rep. Hotom. Illust. Q. 3. Daniel Moller. 1. Semestr. c. 40.*

VI.

Quid si verò primogenitus absque heredibus masculis (& legitimis *Petrus Greg. Tholos. lib. 7. c. 8. de Rep.*) decedat? & virtute hujus bullæ vox & potestas electionis ad seniorem fratrem Laicum, & deinceps ad illius primogenitum Laicum devolvetur. Sed quid si secundogenitus vivo patre decedat, & filium fratrem tertiogenitum relinquat, utrum nepos avo, an filius Electori patri succedet? & dicendum, quod nepos avo. Eadem siquidem hoc casu ratio est secundogeniti relicti filii, ad tertiogenitum patruum, quæ primogeniti filii ad secundoge-

genitum patruum est, repræsentatio nempe & primogeniti qualitas, quæ mortuo primo pronunus secundogenito acquiritur. *Ludov. c. Molina. c. 5. n. 50. lib. 1. de Hisp. primog. Tiraq. q. 40. de Jur. primog. facit huc l. 102. ad cond. & demonstr. l. 30. C. de fideic.*

VII.

Clericorum hic nulla habetur ratio, ne scil. Ecclesiasticorum numerus, qui ternario concludi debet, multiplicetur. Exempla vide *apud Cusp. de Divis. Imper. ob duos compertis. fact.*

IIX.

Administratores tamen Episcopatuum vel Archiepiscopatuum conjugati Augustanæ confessioni addicti, cum nõ clerici sint, sed Laici, in Electoratibus succedere non prohibentur. *Gerard. Maynard. lib. 1. Decis. 23. Nicol. Betz. c. 7. de pact. illustr. famil.*

IX.

Quid si verò Elector omissâ Pontificiâ Religione ad Augustanam se conferat, & matrimonium contrahat, privabiturne Electoratu? Neg. Reservatum enim illud, quod dicunt Ecclesiasticum *in Rec. Imp. de anno 1555. §.* Und nach dem. nostrates nunquam approbârunt, licet contrarium fuerit observatum in Gebhardo Truchsesio Electore Coloniensi, quo jure, ipsius Gebhardi & Joannis Casimiri Palatini deductiones demonstrant.

X.

Quid si primogeniti demortui filius impubes & nec dum ejus ætatis sit, ut Electoratum administrare possit? Tum frater senior ejusdem primogeniti, ait Carolus § 1. hic, tutor ejus & administrator existat, donec legitimam ætatem attigerit. Non igitur testamentariæ hic locus erit tutelæ, sic enim effectu caruisset propositum Caroli, qui volebat inter successores Electorum omnem dissensionum materiam tollere, sed quã sustulisset, si de tutelâ disponere Electori concessum dixeris, fieri quippe ali-

stituer non posset, quam nimiopere proximiorem agnatum, cui tutela debetur, si alius testamento designaretur, offendi. Rationes reliquas & numero & pondere valentissimas à Magn. & Nob. Dn. Præs. hîc adductas lubens omitto. Et hũc nostræ bullæ sensum esse satis demonstrant exempla Ludovici IV. & V. Elector. Palatinor. quorum amborum filiis contra testamenti dispositionem patrui & tutores & administratores fuere. *Trith. in Chron. Sponheimens.*

XI.

Legitimam verò ætatem, licet aliâs variè illa definiatur, ut patet ex *l. 50. §. 4. ff. de leg. 3. l. 2. C. de his qui ven. ætat.* Carolus 18. annos completos censeri vult, & perpetuò haberi, secus atque jure veteri (quartum enim hoc est jure novo introductum) receptum erat. *l. 1. ff. de minor. l. f. C. de test. mil. l. 8. ff. de min. & honor.* Neque huic constitutioni obstat textuum allegatorum ratio, quæ est minus confirmatum istius ætatis hominum judicium, istud siquidem satis supplet institutio Magnatum aliâs solicita, conversatio cum viris doctis & gravibus, & consiliariorum prudentia, longusque posset texi catalogus eorum, qui vel eò ætatis nondum provecti ad imperium accessere, istud tamen laudabiliter satis administravere; Salomonis nempe, Alexandri M., Alexandri Severi, Otton. III. Friderici I & aliorum, & ut vel maximè aliis rationum momentis heîc destitueremur, sola tamen, cum, postquam Principes Imperiũ ad se transtulerunt, & ipsi Magistratus mandare cœperunt. *l. 1. ff. ad L. Jul. amb.* non ætatis, sed voluntatis ratio habita fuerit. *l. 57. in f. ff. de re judic.* Principis isthæc voluntas sufficere posset.

XII.

Quòd si quæsieris, an annum 18. completum esse oporteat, sic sanè juxta literam textus nostri, à quo durum fuerit recedere, dicendum erit, in quo cum jure communi consentit. *l. 3. §. 3. ff. de minor. pr. l. d. Cumt. l. 49. in pr. ff. de leg. 1.* Ratio est vigor naturalis rationis, qui minus est imperfectus, si completi sunt

B anni,

anni, quam si inchoati tantum. *Surd. decis. 178. n. 9. lib. 1. Natta Consil. 461. n. 4. tom. 2.*

XIII.

Quæritur, an tempus hoc 18. annorum parens in testamento coarctare vel prolongare possit? & N. quia n. 1. n. 18. annos completos perpetuò, i. e. semper. *Tiber. Decian. Responsi. 1. n. 262. vol. 1.* requirit, paternum judicium cesset, necesse est, faciendaque hæc est interpretatio, ut bulla huic communi consentiat, *c. cum dilectus extr. de Consvet. Surd. d. decis. 128 n. 15. lib. 1.* quod masculos puberes ad annum usque 25. completum curatores accipere jubet, *pr. I. de Curat. l. 1. ff. de minor.* habuitque Divus Severus Consulum vel Præsidum decreta quasi ambitiosa, quibus illi ante 25. annum minoribus rerum suarum administrationem concedebant, *l. 3. in pr. ff. de minor.* Qui ergò privatus, nec enim Elector illius intuitu inque actu testamentario alium respectum recipit. *l. 7. C. qui test. fac. poss.* duodevigesimum annum lege hâc publicâ præfinitum anticipare potest. *l. 55. de leg. 1.*

XIV.

Postquam verò Elector 18. annos compleverit, tunc jus, vocem & potestatem & omnia ab ipsis dependentia tutor ipse sibi totaliter cum officio tenetur protinus assignare, inquit Car. noster, non igitur administratio Principatuum Curatori usque ad annum 25. reservari debet, ut arbitrantur nonnulli. Vult enim 1. Bulla, quod frater senior tutor & administrator existat, donec legitimam minor ætatem attigerit. Ergò ubi is legitimam ætatem attigit, tutor & administrator esse desinit, dictio enim *donec* limitativa est, & restringit dispositionem ad tempus expressum. *Tiber. Decianus Respons. 108. n. 19. Volum. 3.* 2. Omnia debet restituere ab ipsis dependentia. Ergò & ipsos Principatus, cum & hi ab illis dependeant, imò sic illis uniti sunt, ut jus, vox & potestas eligendi ab ipsis separari nequeant, *t. 20. infr.* 3. Totalis restitutio facienda est. 4. Et quidem cum officio, quod tutor gessit. Nihil ergò tutor retinet, vel si quid retinet non totalis erit restitutio, nec officium integrum

re-

resignatum erit, quod tamen verba volunt. Plures rationes adducit Magn. & Nob. Dn. Præs. in nominatissimis suis ad A. B. disceptationibus, quò me remitto, illorum siquidem hæc summa tantum quasi sunt vestigia. Illam solam Constitutionem, quæ etiam Caroli IV. est, & itidem Norimbergæ post h. B. A. 1356. die Johannis Evangelistæ in causa Rupertorum lata, cum apprime nostram sententiam comprobet, non possum, quin hic subjiciam, quæ ita habet: Wann aber derselbe elter Sohn 18. Jahr alt wird/ zuhand sol jhme derselbe Vormund alle Land/ Herrschafft/ Würdigkeit/ Ehren/ vnd ander Rechten/ Nutzen vnd Zugehörigen/ die er als ein Vormunde eingenommen hat/ ohne alle Widerrede/ Verzug oder Hindernüssen abtretten/ vnd jhme die einantworten ohne Geferde/ &c.

XV.

Quod si quæsieris, an vigore hujus Bullæ Duces & Principes reliqui, ubi 18. annos complêrint, Ducatuum dominiorumque suorum administrationem suscipere possint? negabo, cum, quia Bulla Sigismundi, cujus copiam exhibet *Freber. post. Orat. secund. Adsert. propr. gubern.* ætatem 25. annorum requirit, tum, quia t. noster loquitur saltem de Electoribus, qui cum privilegium contineat, traduci aliorsum non potest.

XVI.

Ad instar ususfructus civilis, §. *1. I. de usufr.* cum & feuda etiam abscedente semper usufructu, ne proprietas eorundem inutilis esset, certis modis, (inter quos & obitus est vasalli absque successore feudali. *c. un. quem. feud. ad filiam pertin.*) extingvantur & cum proprietate consolidentur. *c. un. qua fuit prim. caus. benef. amitt. c. un. quib. mod. feud. amitt. cum simil.* Ita etiam mortuo Electore sine feudali successore Electoratus ad Imperium & Imperatorem devolvitur, qui de ipso providere postmodum debebit & poterit. §. 3. hic. Quæ verba posteriora & necessitatem inducunt Electoratum reinfeudandi, ne scili-

cet numerus Electorum septenarius minuatur, & potestatem pro arbitrio, cui velit, nullâ sangvinis defuncti ratione habitâ, ipsum concedendi: Quod præter hunc t. prob it etiam *c. un. vers. si a dominus quem feud. ad filiam perti. Gail. lib. 2. obs. 148. n. 3.* Et hoc ipso etiam fundamento investitura Electoratus Saxoniæ a Sigismundo Imper. Frid. I. Misn. exclufo Erico facta defendi potest. Quæ quidem ratio cum generalis sit etiam ad Ducatus, Comitatus aliaque feuda Imperialia immediata adaptari possit, & sanè illud exempla, quæ ante hanc B. cont gesunt, insinuant, de quibus *Peuc. lib 5. Chron.* Verum post h. B. Capitulationibus posteriorum Impp. cautum videtur, id cum Electorum adsensu fieri debere, quod inter alia formula privationis Wenceslai Imp. ostendit: Als der den Herrn zu Meyland zum Fürsten vnd zu Paphey zum Grafen gemacht auff des Reichs Stádt/Schloß vnd Güter. Item Capitulationis Caroli V. & Rudolphi II. Impp. quarum posteriori isthæc ratio inserta, damit das Reich wieder zum Wesen vnd Auffnehmen komme/ quæ satis prægnans reinfeudationem insciis Electoribus aversatur, quin Juris regulis hæc sententia congruit, quæ omnem Ducatuum ad Imperium pertinentium alienationem prohibent. *Vasq. lib. 1. c. 3. n. 8 c. 4. n. 4. & seqq. I. Q. Prnckm. c. 4. membr. 2. eff. 6. n. 11. §. soluta potestas*, quibus Capitulatio Imperatoria convenit, facultates Imperii, ait, neque distrahat, neque oppignoret, nec alio quovis modo deteriores faciat. *Sleid. lib. 1. de stat. Relig.* cui vero alienatio non permittitur, nec is reinfeudandi potestatem habet, quia est species alienationis, *c. un. per quos fiat invest. Borch. c. 5. n. 42. de feud.*

XVII.

An verò Imp. consangvineis suis Electoratum ad se reversum reinfeudare possit? Q. & A. Quia 1. ordinata charitas à se & suis incipit. *arg. l. 6. C. de serv. & aq. c. non satis est dist. 86.* 2. Exempla Rudolphi I. qui Alberto filio Austriam, Ludovici Bavari, qui Electoratum Brandeburgensem filio concessit, *Peuc. lib. 5. Chron.* idipsum satis testantur, & 3. ratio textus nostri id non

ab-

abrogat, qui de vacante Electoratu, tanquam de re ad se & Imperium legitimè devolutâ *pro lubitu* Imp. providere permittitur.

XIIX.

Regnum verò Bohemiæ si vacare contigerit, non illud, ut reliqui seculares Electoratus ad Imperium redit, sed statibus Regni Bohemiæ juxtà continentiam eorundem privilegiorum & observatam consvetudinem diuturnam à Romanis Imp. obtentorum alium in Regem eligere conceditur. Ex quo satis apparet, Regnum Bohemiæ Imperio subjectum esse: Exceptio enim quæ circà electionem novi Regis versatur, ostendit id juri subjectionis in aliis relinqui: *arg. l. 12. § 39. ff. de Instr. vel instrum. leg. Dec. in l. 1 ff de R. J.* Quin & ex eo, dum privilegium hoc de eligendo novo Rege à Rom. Imp. Bojemis indultum dicit: privilegium enim concedens ut superior sit, necesse est. *Raiger. Ruland. p. 4. cap. 3. n. 27. lib. 2. de Commissar,* & ipsâ hâc Carolinâ confirmatione, quæ omninò subjectionem astruit. *arg. § interim. Nov. 15. Natta Consil. 636. n. 81* Et tandem inde etiam illos Imperio subjectos patet, quod & ante hæc tempora eidem contribuerint, sicuti ex editis à Brunovicensibus Actor. tom. 2. matriculis videre est, (primus verò illos tributarios Henricus Auceps reddidit. *Peuc. in Chron. l. 4. in Henr. A.*) & etiamnum hodiè Imp. in Italiam proficiscentem in personâ Rex Bohemiæ sequi cogatur. *Harem. Maurus de Coron. Car. V.* quorum utrumque subjectionem arguit. *Natta d. Consil. 636. n. 79. c. solitæ. de major. & obed. Cephalus Consil. 369. n. 62.*

ADDITAMENTA.

I.

Disceptationis illius sessionis & ordinis inter Principes, cujus *supr. th.* 1. mentio injecta, isthæc cum *Magn. & Nob. Dn. Præs.* dari possit ratio, quod cum anteceden-

tibus temporibus Principes à loco Comitiorum remotiores rarius personaliter comparuerint, vix interdum legatos miserint, ut constat ex Comitiis Augustæ 1474. & Norimbergæ 1487. celebratis, viciniores verò, etiam non Principes accesserint, & loca absentium latenti usurpatione occupârint, illi accedentes postmodum ad vacantia loca remissi, jus illud præcedentiæ & proedriæ jure sibi asserere se fuerint arbitrati. *Tract. de Com. c.7. n.* 104.

II.

Majoritas votorum an etiam in rebus negotium Religionis vel directò vel per indirectum concernentibus obtineat. Q. & Negativam satis tuentur Protestationes à reformatæ religioni addictis statibus toties in Comitiis factæ. R. A. zu Augspurg de ann. 1530. §. Es haben aber. R. A. zu Regenspurg de ann. 1532. tit. Geistl. vnd Weltl. Beschwerung. R. A. zu Speyr de ann. 1542. §. Dargegen aber die Stände / & omninò illæ in Comit. Ratisb. An. 1613. quas refert *Magn. Dn. Præs. in laudato Tr. de Comit. d c.7. n. 66. & seqq. Limnæus Tom.3. I. P. lib. 9. cap. 1. n. 182. 188. & seqq. Reinkingk. Tr. de Regim. Sec. & Eccl. lib. 1. cl. 5. c. 8. n.*70.

III.

Principe in Comitiis decedente legatus ejus sessionem ante investituram à Cæsare obtentam ad mandatum successoris an continuare queat. Q. &, cum jus loci & voti ei competat, qui Electoratum, Principatum, Ducatum & Baronatum possidet. *cap.* 20. *in pr. A.B. Car. IV.* utique affirmandum id erit, præsertim, cum etjam

jam ab obſervantiâ adducta exempla Chriſtiani I. Electoris A. 1586. Joachimi Friderici Marchionis Brandeburgenſis, Friderici IV. Electoris Palatini, A. 1596. Caroli Ducis Megapolitani 1603. id comprobent. *Magn. Dn. Præſ. d. Tr. de Comit. cap. 7. n. 126.*

IV.

Patronus Evangelicus Collatori Pontificio miniſtrum Pontificium præſentare debet, & viciſſim Pontificius Patronus Evangelico Collatori Evangelicum. Patronus enim 1. ejusmodi præſentare debet perſonam, quæ Collatori videatur idonea. *t. de Inſtit. & t. t. extr. de jur. patron.* qualis ſanè non reputabitur, niſi quæ ejusdem cum eodem ſit religionis. 2. In Collatoris territorio ſuperioritatem territorialem ſibi attribuere non poteſt; Ergò nec jus mutandæ religionis, cum illud nõ niſi immediatè Imperio ſubjectis competat. §. Und dannit. 2. & 5. Damit auch obberührte. 7. *Pac. Rel.* Et ita pronunciatum in causâ Truckſeß contrà Epiſcopum Herbipolenſem & in aliâ causâ, contrà eundem Epiſcopum. *Gerlac. Buxtorff. Diſſert. ad A. B. Concl. 65. lit. c. Cran. de Pac. Rel. Part. 1. Probl. 9. Reinkingk. Tract. de Reg. Sec. & Eccl. lib. 3. Cl. 1. cap. 9. n. 21. & ſeqq. Wurmſer. Exerc. J. P. 5. q. 17.*

V.

Torneamenta num licita, adeoque etiamſi vel centum, & quod excurrit, annos fuerint intermiſſa, in uſum revocanda? Q. & Aff. tum 1. propter commune Nobilium votum, quorum pectora virtuoſo ſangvine incaleſcunt; tùm 2. propter inſignes, quas præſtant utilitates: hi enim Nobiles, (his enim ſolum in torneamentis locus datur,) pacis tempore exercentur in armis,

mis, ut in expeditionibus iis paratiores uti possint: deinde sunt ista post bellicos labores instar recreationis & voluptatis cujusdam. *Limnæus Tom. 2. Jur. Publ. lib. 4. cap. 5. n. 129. & seqq.*

Præstantissimo & Doctissimo Dn. Respondenti, Fautori & Amico suo non è multis uni.

HActenus enodas privati dogmata Juris,
Extricans tortas, arte favente, plicas.
Aurea jam Sacræ tractas Emblemata Bullæ,
Quoque Sacri Imperii Jure coruscat honos.
Aureus hinc tibi surget honos, te dona manebunt
Aurea, & auratâ prosperitate clues.

Ita properabundus
adgratulatur
Martinus Schele,
Hamburgensis.

AUgustos augusta decent! *sublimia scripta*
Sublime ingenium sollicitare solent.
Sic tu non steriles tricas, sed nobile tractas
Thema, quod imperii sub ditione viget.
Sic licet Augusta angusta, *undiq; pressa Mavortis*
pullu, indignis evacuata modis.
Augustum *tamen hæc tua lemmata docta probabunt,*
Quæ famâ augustâ *te super astra vehent.*

Gratulabundus
fecit
Augustæ vindelicorum nato
Ratisponæ educato
atque sic
Concivi spiritus adamando
Joh. Georg. Pfaffrenter,
Ratisbon.

F I N I S.